



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera**

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

**Agobardus <Lugdunensis>**

**Parisiis, 1666**

Synodvs Vrgellensis Habita Anno DCCXCIX. Ex libro III. Marcae Hispanicae  
MS.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14657**

est , sensisse veteres merum electionis jus Karolo tributum fuisse, sed tantum jus examinandi electionem, eamque cassandi , si canonicè facta non fuisset ; tum verò ordinandi Sedem Apostolicam , id est , ordinationem Romani Pontificis concedendi , postquam constabat electionem rite ac canonicè fuisse celebratam. Scio synodus illam Romanam repudiari à viris eruditissimis, ut spuriam ac supposititiam. Sed profectò multa sunt quæ auctoritatē adstruunt narrationi quæ de ea re circumfertur , ut alibi dicetur. Nunc satis sit monuisse, obscurum istud Flori scribendi genus nonnullis etiam cordatis viris imposuisse,

## ADMONITIO AD LECTOREM.

**Q**uoniam in Notis ad Agobardum diximus synodum in civitate Vrgellensi habitam fuisse anno DCCXCIX. in causa Felicis Episcopi illius sedis, res postulare videtur ut doceamus hanc synodum fuisse habitam , cùm non extet in tomis Conciliorum , nec quisquam haec tenus eam agnoverit. Debes illam , Lector, eruditissimo viro Petro de Marca Archiepiscopo Parisiensi , cuius verba describemus ex libro tertio Marcæ Hispanicæ.

## SYNODVS VRGELLENSIS

HABITA ANNO DCCXCIX.

Ex libro III. Marcæ Hispanicæ MS.

**P**ræterea synodum quoque Orgelli ea de re haberi à Leidrado Episcopo Lugdunensi , Nefridio Narbonensi , Benedicto Abate , & Episcopis atque Abbatis provinciæ Gothiæ , Carolus jussit , ut contumaciam Felicis blandis collocutionibus mollirent. Quam synodum aetam fuisse Orgelli ut comprobem , necesse est ut duo Alcuini testimonia ad invicem componantur. Is libros à se adversus Elipantum elucubratos Episcopis quos dixi transmittit , ut eos in itinere perlegant , & iis utantur ad fidei prædicationem , quæ defungi eos oportebat

## 154 SYNODVS VRGELLENSIS.

ex mandato glorioſi Principiſ Caroli , ut ille teſtatur. Porrò ſynodum illam Orgelli coactam reſ ipsa docet : quoniam , juxta canones Africanos , Concilia provin- ciarum iis in locis haberi debent , ubi morbus remedium expoſcit ; & prædicatio fidei , juxta ſynodi Francofur- tienſis definitionem , peragenda erat ubi ab haeresi pre- mebatur. Sed præter argumenta , habemus quoque di- ſertum teſtimoniū unde Conciliū cœtum à Laidrado Lugdunenſi & Nefridio Narbonenſi Orgelli habitum conſtare poſſit. Quippe Felix in formula ſuae confeſſio- niſ ait impletum quod ſibi Laidradus Orgelli promiſe- rat. Reſ autem ſic ſe habet. Felix conuentus ab Orgeli- tana ſynodo , ſpōndit ſe ad Regis aulam venturum , & fidem catholicam amplexurum , ſi amica collocutione , omni vi remota , veterum Patrum teſtimoniis oſte- retur aſſertiones ejus eſſe à veritate alienas. Quod fu- turum ut poſcebat Laidradus pollicitus eſt. Quare Felix anno Caroli glorioſi Principiſ trigesimo ſecundo ( ut verba Alcuini uſurpem lib. 1. contra Elipantum , quod tempus incidit in annum D C C X C I X . ) advocatione voluntariè veniens ad Aquis Palatiū &c. ] Haec tenus Marca de ſynodo Vrgellensi. Nam que dein illuc ſequuntur , per- tinent ad ſynodum Aquisgranensem.

